

reputantur **sordida** et clericis **indecora**, ut esset publice agere fabrum, pelles vel coria parare, etc. (Reiffenst. in Decr. l. 3. t. 1. n. 127)

II. Abstinerere debent a gerendo **munere procuratoris vel advocati** coram tribunalibus civilibus, nisi causam agant propriam vel ecclesiae suae vel personarum miserabilium aut conjunctarum. (Decr. l. 1. t. 37. c. 1) Ubi agitur de his causis exceptis, ne licentiam quidem episcopi necessariam esse edixit S. C. Ep. et Reg. 8 Maii 1716, siquidem facultas ipso jure conceditur. (Ball. P. n. 286)

Pupillorum tutelam suscipere nequeunt sine episcopi venia, ut pluries statuit S. C. Conc. (Ferraris, Bibl. can. v. *Clericus*, a. III. n. 83 seqq.) Excipiunt tamen multi tutelam pupillorum ex proxima cognatione clerici.

III. Abstinerere debent a gerendis **muneribus publicis**, saltem iis quibus quis publico servitio velut mancipatur, puta praefecti urbis, magistratus vel tabellionis, aut obligatur ad ratiocinia reddenda, puta munus quaestoris. (D'Annib. III. n. 158) Haec enim certe ex iis sunt quae clericis vetantur pluribus Juris textibus, speciatim Decr. l. 3. t. 50. c. 1. juxta 2 Tim. II, 4.

A reliquis muneribus civilibus, neque per veteres canones, neque ex disciplina vigenti generatim arcentur clerici. Sic hodiernis moribus receptum videtur ut licite agant munus deputati ad comitia legislativa vel consultoris municipii. (D'Annib. l. c. nota 21; Aichner, op. cit. § 73) Existimat tamen Aichner (l. c.) hodie communiter requiri consensum Ordinarii ad suscipiendum officium quod totum hominem occupet, quale foret crebro munus professoris in Universitate aut in Gymnasio, etc. Sed cum nulla lex positiva afferatur, necessitas hujus consensus videtur restringenda ad eos clericos quibus Ordinarius uti velit ad officium in sua dioecesi obeundum. Cfr. Vol. I. n. 460.

36. IV. Juxta communiorem sententiam canonistarum (ut Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 10. n. 5; Aichner, l. c.) et moralistarum (ut D'Annib. III. n. 158; Gury, II. n. 98), prohibentur clerici **artem medicam vel chirurgicam exercere**, etiamsi illam ante ss. ordinum susceptionem didicerint; quare ad eam exercendam requiritur Indultum Apostolicum, quod reapse ob justas causas concedi solet, non tantum missionariis, sed et aliis clericis, addita tamen condicione ut sine adustione vel incisione exerceatur. Manifestum est, etiam in hac severiore sententia, excipi casum verae necessitatis, quae certe ab hac lege positiva excusat. Huic opinioni adherent Congregationes Romanae, etiam pro locis Missionum, ut videre est in Coll. P. F. (nn. 224, 331 etc.)

Nihilominus non desunt AA. etiam recentes, ut Lehmk. (II. n. 613),

Buccer. (Th. Mor. de Stat. n. 97), Craisson (Man. Juris Can. n. 2062), qui prohibitionem hanc restringunt ad incisionem et adustionem, eo quod in Jure Can. nihil aliud vetitum sit nisi ut clerici medicinam addiscant (Decr. l. 3. t. 50. c. 10) et chirurgiam exerceant quae adustionem vel incisionem inducat. (ib. c. 9.) Reapse textus Juris desideratur, ideoque huic benigniori sententiae, saltem pro conscientiae foro, sua probabilitas negari nequit. Attamen priorem sententiam probabiliorem ducimus ob multas et constantes ss. Congr. decisiones. Notandum quoque plures episcopos usos esse jure, quod ipsis procul dubio competit, prohibendi omne exercitium medicinae vel chirurgiae iis clericis qui Indulto Apostolico carent. Cfr. Stat. Mechl. n. 47; Conc. Balt. III. n. 82. Adustio et incisio, de quibus hic pluries dictum est, vetantur clericis ob periculum irregularitatis, ideoque intellegendae sunt tantum de ea adustione vel incisione e qua oriatur periculum vitae aut mutilationis membrorum. (S. C. de P. F. 27 Jun. 1701; Coll. P. F. n. 339) Cfr. n. 639.

V. Vetantur clerici **arma portare**: " Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur. " (Decr. l. 3. t. 1. c. 2.) Haec tamen prohibitio non est intellegenda de armis quibusdam occulte ferendis, sed de publice portandis armis militaribus, ut passim receptum erat tempore quo canon ille a Concilio Pictaviensi (anno 988) conditus est. (Ball. P. n. 288)

Ex hac Juris dispositione sequitur clericos prohiberi quominus militiam saecularem amplectantur, et quidem absolute, si in sacris sunt, condionate, si minores tantum ordines susceperunt, nempe si velint amittere privilegia clericalia vel beneficium quod forte obtinuerint.

Ex dictis patet minime vetari clericos quominus arma deferant ubi justae defensionis necessitas id postulaverit. Aliunde manifestum est peccare eos qui sponte ferunt vel urgent leges iniquas quibus clerici hodie in pluribus regionibus militare coguntur, non autem clericos huic coactioni cedentes vel alios iisdem legibus, ad vitanda graviora mala, materialiter cooperantes.

§ 5. DE NEGOTIATIONE CLERICIS INTERDICTA.

37. NOTIONES. Clericorum nomine hic veniunt ii omnes qui sacris ordinibus initiati vel beneficiati sunt; insuper personae religiosae utriusque sexus, dummodo status religiosi essentiam habeant (n. 73), non tamen novitii, nisi ex quadam decentia. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 50. n. 29)

Negotiatio autem proprie dicta, quae *lucrativa* seu *quaestuosa* dici solet, in eo est quod vendatur res quam clericus sibi comparavit eo animo ut eandem non mutatam carius vendat. (2. 2. q. 77. a. 4. ad 2) Ad eam igitur requiruntur quattuor haec: ut res ematur et vendatur — ut vendatur non mutata — ut vendatur carius — ut empta sit animo eam non mutatam carius vendendi. Maneret vera negotiatio etiamsi permutatione, non venditione, lucrum quaereretur. (Ball. P. de Jure et Just. p. III. n. 464)

Quodsi res emitur ut labore mutata vel in meliorem formam redacta carius vendatur, ex. gr. uvae ad vinum conficiendum, ferrum e quo machinae componantur, haec dici solet negotiatio *artificialis* seu *industrialis*: quae tam prope ad quaestuosam accedit, ut etiam a quibusdam AA. (ut Schmalzgr. l. c.) tamquam altera ejusdem species consideretur.

Praestat tamen, in hoc argumento satis intricato, potius attendere ad positivas determinationes Juris scripti vel consuetudinarii, quam ad definitiones quae variae a variis AA. exhibentur.

38. ASSERTA I. Clericis prohibita est **negotiatio quaestuosa** seu mercatura, ut liquido constat e Corpore Juris (ex. gr. Decr. lib. 3. t. 50. c. 6) et RR. PP. Constit. (Bened. XIV, Const. *Apostolicae servitutis*, 25 Febr. 1741; Clem. XIII, Const. *Cum primum*, 17 Sept. 1759)

Violatio hujus prohibitionis ex genere suo gravis est, ut e gravibus harum legum verbis poenisque inflictis liquet. Attamen non peccat graviter clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, nec in magna quantitate; immo probabiliter neque is qui semel in materia gravi negotiatur: quia jura loquuntur de *exercente negotiationem*, quod significat pluralitatem actuum, per intentionem eos continuandi, moraliter unitorum. (S. Alph. l. 4. n. 831; Ball. P. n. 303)

Poenae a Jure statutae, scil. excommunicatio et suspensio, sunt ferendae sententiae, excepta excommunicatione lata contra missionarios negotiantes: de qua cfr. n. 612.

II. Illicita quoque est clericis **negotiatio artificialis**, quando res emitur eo animo ut, non proprio labore, sed per operarios conductos mutata, carius vendatur, ex. gr. si emantur uvae quibus per operarios conductos vinum fiat, vel ferrum e quo in officina machinae conflentur. Ratio praecipua est, quod hujusmodi negotiatio aequae animus quaestuosus denotat ac mercatura, ac proinde non minus clericum dedecet; nec communis sensus, cui in his materiis moralibus multum deferendum est (Lugo, de Just. et J. disp. 26. n. 34), discrimen inter utramque agnoscit.

III. Non est illicita negotiatio artificialis qua res mutatur personali labore clerici. Nam haec verae negotiationis nomine venire nequit: immo talem industriam commendant exempla S. Pauli aliorumque Sanctorum, labore manuum vitae suae providentium, et plures canones antiqui, ut Conc. Carth. IV (Decr. dist. 91. c. 3): "Clericus victum et vestimentum sibi artificiolo vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, parat. „ Cavendum tamen ne exerceantur opera sordida (n. 35, 1), vel fructus industriae vendantur ratione quae statum clericalem dedecet, ex. gr. ne clericus aurifaber officinam erigat in qua ipse monilia a se facta vendat. (Ball. P. n. 312)

39. IV. Per se licet fructus propriorum fundorum, etiam aliena opera immutatos, carius vendere: id enim negotiationem proprie dictam non constituit, siquidem res vendenda non emitur, sed tamquam fructus bonorum jam possessorum acquiritur.

Hinc licet clerico ex. gr. e frumento proprii agri conficere panem illumque aliis cum lucro vendere; similiter ex uvis propriae vitis per operarios conductos conficere vinum illudque etiam minutim vendere. Immo etiam optimi AA. (ut Schmalzgr. l. c. n. 17; Lugo, l. c. n. 30) opinantur clerico licere ferrum aliudve metallum e vena proprii agri ab operariis extractum et elaboratum cum lucro vendere, vel in hunc finem emere agrum in quo venam metalli reperire queat. Attamen manifestum est hujusmodi laborem, praesertim si per multos operarios conductos exercetur, facile habiturum esse speciem statui clericali indecoram aequae ac mercaturam proprie dictam. Quodsi fieret, res derelinquenda foret, utpote implicite saltem in Jure prohibita. In hoc igitur puncto regula plane generalis dari nequit, sed plura, arbitrio Ordinarii, judicanda sunt licita vel illicita pro usu regionum moribusque receptis.

V. Juxta communem DD. sententiam, licet clerico negotiari pro sua vel suorum necessaria sustentatione: quod probabiliter intellegendum de necessitate habendi ea quae statui tuendo congrua sunt, nempe si aliter clericus cum parentibus, sororibus aliisque personis, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur, commode sustentari nequeat. Lex enim ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. (Lugo, l. c. n. 37; S. Alph. l. 4. n. 837) In hoc tamen casu, licentia quanto citius petenda est in Italia a S. C. Conc., extra Italiam ab Ordinario. In hujusmodi autem licentiis praescribantur oportet honestiores modi quibus clericus, justa moderatione servata, et intra veram indigentiae mensuram, pauperibus consanguineis opem ferre valeat. Eaedem ipso jure irritae fiunt quotiens allegatae conjunctorum necessitates cessant vel alia legitima ratio se offert iisdem opportune prospiciendi. (Clem. XIII, Const. cit.)

VI. Negotiationem interdictam nequeunt clerici exercere *per alios* : quod Bened. XIV (Const. cit.) definit, veteribus DD. controversiis finem imponens. Ibidem statutum est ut, si negotia quaedam ad clericum devolverentur, puta per hereditatem, statim dimitterentur, vel, si id absque detrimento fieri non posset, tantum ad tempus agerentur, petita licentia, ut supra (V) dictum est.

Attamen ob consuetudinem videtur licere ut, si clericus una cum fratribus succedat in negotia parentum, ea per alios gerere pergat. (D'Annib. III. n. 156. nota 12)

40. VII. Ex dictis colligere est nullam proprie dictam negotiationem ideoque nullam culpam fore in sequentibus casibus :

1° Si clericus vendat res in proprium usum emptas, quia jam iis non indiget : quae dici solet **negotiatio oeconomica**.

2° Si easdem res vendat, volens uti fausta occasione eas vendendi, etiamsi id faceret cum intentione similia deinde minori pretio emendi.

3° Si emat pecora ut ea in propriis praediis saginet, vel etiam fructibus aliunde coemptis alat, et deinde cum lucro vendat. (S. Alph. n. 835) Regulariter prohibitum est, quominus clericus conducat alienos agros ad alendos greges vel ad vendendos fructus inde nascituros. Attamen quandoque id a specie turpis negotiationis alienum est, ex. gr. si quis, jam aliqua praedia habens, quaedam conducere in supplementum vel ad certa incommoda, puta molesti vicini, vitanda. (Ball. P. n. 308)

4° Si excessus pretii, quo res vendantur, sit tantum compensatio expensarum quae factae sint ad merces transvehendas, conservandas, etc. Abest enim omne lucrum. (Ball. P. n. 310)

5° Si venditor aliquid de justo pretio remitteret, et clericus rem justo pretio venderet : nam lucrum e gratuita venditoris donatione proveniret. (Ball. P. l. c.) Attamen vera foret negotiatio, si imminutio pretii praecise oriretur ex eo quod clericus magnam quantitatem simul emeret, et minutim venderet.

6° Si jumenta et similia emantur, ut postea aliis locentur. Ita contra alios Lugo (l. c. n. 34), qui tamen recte addit speciem aliquam negotiationis id habiturum esse, si frequenter emantur alia et alia animalia ad eum finem.

41. VIII. Negotiationem nequaquam exercet clericus qui emit **obligationes** societatum industrialium vel commercialium. Nam per eas non fit membrum, sed tantum creditor societatis cui aliquam pecuniae summam commodat. Lucrum ergo fixum, quod ex obligationibus percipit, nihil aliud est quam auctarium pecuniae mutuo datae, auctarium autem percipere per se licet clerico sicut et reliquis. Cfr. Vol. I. n. 616 seqq.

IX. Controvertitur plurimum inter AA. num illicitum sit clericis sibi comparare titulos seu **actiones** societatum industrialium et praesertim commercialium, quibus membra illarum fiant et jus acquirant ad partem fructuum mutabilem pro minore vel majore societatis emolumento.

Plerique AA, id illicitum reputant. Ita D'Annib. (III. n. 157), Konings (I. n. 1132), Van der Moere (De Stat. Part. n. 10) et ex parte Lehmkühl (II. n. 612). Nituntur praecipue hac ratione : operationes totius societatis certe constituere negotiationem, ideoque illius membra esse negotiatores. Nec refert quod negotiatio per alios exerceatur : nam id quoque clericis certo vetitum est. (VI) Arguunt praeterea e variis responsis Romanis quibus, in casibus particularibus, actionum coemptio vel illicita declaratur vel ex dispensatione indulgetur.

Alii, quibus astipulamur, id licitum censent. Ita Sanguineti (Juris eccl. priv. instit. n. 217 seqq.), Berardi, sed cum quibusdam restrictionibus (Prax. Conf. n. 3599), etc. et probabile habent Aertnys (Th. Mor. I. de Stat. cler. n. 70) et Gury (II. n. 105). Rationes afferunt non spernendas :

1° Qui actiones societatum illarum acquirit, sed minime intervenit negotiationi dirigendae, nequit dici *negotari per alium* eo sensu quo id a Bened. XIV prohibitum est. Nam, in sensu prohibito, requiritur ut qui per alium negotiatur efficaciter in negotiationem influat. At qui actiones detinent, saepe nullum jus negotiationis dirigendae habent, vel, si hoc jus habent, nullatenus obligantur ut se huic directioni immisceant.

2° Fundamento caret distinctio quae inter actiones et obligationes ab adversariis ponitur. Nam etiam illi qui obligationes tantum emunt a vicissitudinibus negotiationis aliqua ratione pendent. Magna autem sollicitudo, quae apud detentores actionum quandoque animadvertitur et statum clericalem certe dedecet, potius hominum quam rei vitium est ; eadem saepe non minus inficit eos qui pecuniam suam in obligationibus redditus magni et incerti collocant.

Neque melius fundata videtur distinctio quam quidam AA. ponunt inter actiones quae emittuntur ad novam societatem erigendam et eas quae, constituta jam societate, acquiruntur, rati posteriores tantum a clerico emi posse. Nam, ut advertit Ball. P. (n. 310), argumenta prioris sententiae, si valent, aptantur utrique hypothese. Attamen facilius habetur suspicio nimiae cupiditatis lucri ubi de nova societate constituenda agitur, ideoque plerumque ab actionibus illis primo emendis clericos abstinere decebit.

3° Responsa Romana antiquiora satis obscura sunt, ut fuse exponit Ball. P. (n. 317). Sed, fatentibus iis ipsis qui sententiam severiorem propugnauerant (N. R. Th. t. 25. p. 604 seqq.), recentius responsum

S. Inqu. (15 Apr. 1885) clare indicat S. Sedem jam permittere ut sententia benignior in praxim deducatur. Quod responsum sic sonat: "Juxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum, et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat ut vulgo dicitur *dei giuochi di borsa.*"

X. Non licet emere actiones vel obligationes eo animo ut carius vendantur. Hoc enim, saltem si habitualiter fit, veram negotiationem quaestuosam eamque maxime aleatoriam constituit. Ideo in Synodo Archid. Mechl. an. 1892 statutum est: "Quod attinet ad titulos census annui in aerario publico vel a societatibus fundatos, non licet sacris ministris in eis negotiari, i. e. *habitualiter* eos emere animo carius vendendi cum eorum pretium increverit." Cfr. resp. S. Inqu. mox citatum.

§ 6. DE SAECULARIBUS DELECTATIONIBUS VITANDIS.

42. I. Prohibentur clericis Jure Canonico (Decr. l. 3. t. 1. c. 15) *ludi aleorum* et taxillorum: quo nomine veniunt ludi qui fere totaliter a fortuna pendent, non autem ii qui, ut plures species ludi chartarum, potius arte reguntur. (S. Alph. l. 4. n. 900)

Rigorem veterum canonum plurimum temperavit praesens consuetudo. Quare "leges ecclesiasticas non infringere censetur qui parce, recreationis causa et secluso scandalo, aleis chartisque ludit." (Aichner, Comp. J. Eccl. § 73) Graviter tamen peccaret clericus, in Sacris constitutus, qui simul et frequenter luderet et magnam pecuniae quantitatem exponeret. Insuper S. Alph. (l. c. n. 897) tenet graviter peccare illum qui frequenter et per longum tempus ludis prohibitis indulget: quod tamen, spectata hodierna consuetudine, nimis rigidum videtur, nisi grave scandalum detur laicis vel officia clericalia propter ludum notabiliter neglegantur. Tandem plures AA. (ap. S. Alph. l. c. n. 898) a gravi excusant clericum qui, secluso scandalo, magnam quantitatem ludo exponit, sed non frequenter ludit, quia canones (Decr. l. 5. t. 31. c. 11) loquuntur de clerico *lusibus dedito*. Hoc argumentum debile est, cum alii canones (Decr. l. 3. t. 1. c. 15) absolute prohibeant clericis lusus aleatorios. Sed postquam consuetudo plurimum emollivit hujus legis rigorem, hanc sententiam omnino probabilem ducimus.

II. A *venatione* abstinere jubentur clerici. (Decr. l. 5. t. 24. De clerico venatore) Hanc prohibitionem communiter restringunt DD. ad eam venationem quam *clamorosam* vocant eo quod fiat cum magno hominum concursu, multorum canum apparatu, etc., quae restrictio prorsus congruit cum tenore canonum prohibentium ne canes, accipitres et falcones ad venandum nutriant clerici. Venationem autem *quietam* per se licere plerique autumant. (S. Alph. l. 4. n. 606) Sic et Trid. (Sess. 24. c. 12. de ref.) dum jubet clericos abstinere ab *illicitis* venationibus et aucupiiis, videtur innuere aliqua esse licita. Neque putaverim, ex lege universali, requiri licentiam Ordinarii ut venatio quietata armis exerceatur, quemadmodum opinatur D'Annib. (III. n. 159). Cfr. n. 36.

Ipsa venatio clamorosa non est vetita sub gravi, nisi sit frequens et cum scandalo vel magnis expensis. (S. Alph. l. c.)

Saepe tamen episcopi utuntur jure suo prohibendi venationem etiam quietam. Ita Stat. Mechlin. (n. 56) eam tantum permittunt "quae laqueis aut retibus fiat, sine strepitu et offensione populi."

43. III, Clerici prohibentur jure communi *tabernas ingredi*, edendi et bibendi causa, nisi iter agentes necessitate quadam adigantur. Ita Innoc. III (Decr. l. 3. t. 1. c. 15): "Clerici tabernas prorsus evitent, nisi forte necessitatis causa, in itinere constituti." Hanc eandem prohibitionem urgent magisque determinant multa Statuta Synodalia vel Concilia Provincialia. Cfr. Stat. Mechl. n. 52; Conc. Baltim. III. n. 80.

Tabernarum nomine veniunt loci omnes in quibus publice, quacumque diei hora, vinum, cerevisia, liquores etc., adventantibus minutim venduntur et sumuntur. Non veniunt ergo hoc nomine domus quae principaliter refectio vel hospitio praebendo deserviunt. Quodsi domus quaedam, quae tabernis accensendae videantur, passim a clericis adeuntur, haec consuetudo servari poterit, dummodo ab Ordinario non reprobetur. Similiter consuetudinis est, juxta Ordinarii mentem, interpretari quantum iter sufficiat ad inducendam illam necessitatem quae a prohibitionem excuset, vel determinare alias causas rationabiles adeundi tabernas. (Aichner, op. cit. § 72)

Severius in pluribus dioecesibus, haec juris communis prohibitio urgetur, addita poena suspensionis ita ut ingressus plene illicitus, etiam semel factus, gravem culpam constituat. Censura haec viget in archidioecesi Mechlin. (Stat. n. 52) et etiam in quibusdam dioecesibus Stat. Foed. Amer. ut Crossensi et Kansanopolitana. Cfr. Nilles, Comment. in Conc. Balt. III. P. 2. p. 129 seqq. Quaedam notabimus de censura Mechliniensi, quae similibus decretis alibi latis lucem affundere queant:

1^o Requiritur ingressus *edendi, bibendi vel ludendi causa*. Hinc a censura immunis foret qui ingrederetur ad confabulandum, epheme-